

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, 116ter

Notum fiat successoribus nostris quod Odo Rufus Fulcradi filius et Rainaldus frater eius, divino compuncti amore, pro animarum suarum redemptione dederunt sancto Martino Maioris Monasterii, ad res scilicet augendas, quibus fratres ibidem omnipotenti Deo famulantes sustentantur, alodum de Villa Malardi, illam videlicet partem quam ipsi illic habere videbantur. Nomina vero testium qui dationem istam fieri viderunt et audierunt subtus notata continentur: Wlgrinus clericus - Fulbertus suus homo – Raherius homo Adelelmi – Gauscelinus homo Adelelmi – Otgerius frater eius.